



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Tractatus IX. Agitur quomodo calamitates cladesque publicae aspiciendae
sint, vt per eas non turbemur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

P A R S III.

*Ostenditur quomodo omnibus rerum euentibus,
acquiescendum sit.*

TRACTATUS IX.

Sit nomen Domini benedictum, à sæculo & vsque in sæculum; quia sapientia & fortitudo eius sunt, & ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. *Dan. 2.*

*Agitur quomodo calamitates cladesque publicæ aspi-
ciendæ sint, ut per eas non turbemur.*

P R O O E M I V M.



Mnia iam vt credo complanata sunt, quæ Diuinæ Prouidentia rationes, mirabilesque anfractus & dispositiones, vtrumque scabrosas reddebant & difficiles. Illud enim primò ostendimus, quàm sapienti concinnoque ordine, orbem vniuersum digesserit Deus, finem suum vt consequeretur; suam inquam gloriam, hominumque vtilitatem & salutem. Deinde quàm sanctè scelera permittantur; ne libero hominis arbitrio Deus officiat, considerauius, & verò permitti debuisse ipsimet iudicauius. Denique admirabilem illam tum geniorum, tum etiam fortunarum varietatem, mundo gubernando

nando necessariam profus fuisse, ratione conuicti facti sumus, victique Diuinæ Prouidentia manus dedimus. Illud itaque consequens est, vt illi penitus totique acquiescamus, nullique rerum euentibus perturbemur. Id quidem generatim est perfacile; ad rem verò cum peruenitur perdifficile. Omnia quæ Diuina statuit Prouidentia, facile approbamus, præter ea quæ nos concernunt: reliqua quæ toto aguntur mundo, quieti aspicimus; nostra nos perturbant, quia tangunt propius. Agite ergo, & hæc quidem quæ generatim de Diuinâ Prouidentia dicta sunt, rerum euentibus, quos quotidie intuemur, applicemus posthæc. Ostensuri porrò sumus, quò pacto inter assiduas rerum agitationes, quibus nos ipsi circumuoluihur, quietis tamen tranquillisque esse liceat. Et quia ea quæ nos tangunt mala, in duplici sunt differentiâ; ac primò quidem communia, ea nempe quæ Rempubicam, cuius nos partes sumus, concernunt; deinde priuata quæ nos ipsos spectant: illa tantum modò persequemur, artemque expediemus, quâ non Patriæ tantum elades & miseria, sed ruinam ipsam & interneccionem, sine perturbatione magnâ videamus, inter ruinas ipsius securi, quia quieti.

§. I.

Proponuntur præcipua querimonia, quibus circa publicarum rerum euentus solent homines inquietari.

Res mortales semper in peius abeunt, etiam cum quæta sūt.

IN immensum pelagus iam nos immergimus: perturbationum inquam Oceanum ingredimur, nihil præter procellas, furentesque ventos pertractaturi. Felicem tamen exitum mihi polliceor, illo auspice & gubernante qui fecit *pondus ventis*, qui que cum exorbitant, *ventis & mari imperat*, & confestim *obediunt ei*. Res mortales omnes, totamque humanæ societatis machinam, mare esse quis negauerit, quod nunquam non mouetur, nunquam placidum est & tranquillum, nisi cum vel ipsa malicia perniciosa est, vel cum tempestas horrenda incubat præforibus, cuius quasi prodromus & præuentus sit ipsa tranquillitas. Sic est; nunquam cum rebus nostris bene agitur, nisi vt malè confestim sit; nunquam quiete fruimur, nisi aut eâ quæ noceat, aut

Iob. 13.
Luc. 6.

aut quam tumultus miseriarumque excipiant longè maximæ. Vix multum optatâ pace frui datur, quin, uti per longam malaciam annona corrumpitur corporaque nauigantium languore deiciuntur, ita & Reipublicæ, cum quæta est, dissoluantur leges & instituta, langueat iustitiæ rigor, ciuium excrescant dissoluti mores, libido imperantium dominetur, virtus affligatur; quæ tandem subsequuntur aut ingentes de celo immissæ clades; aut certè ex ipsis hominibus sese opprimentibus, felicitatique alienæ imò & suæ inuidentibus, nascuntur seditiones tumultus a pertaq; bella, quæ cladibus, ruinis, incendijs orbem miscent vniuersum. Quis hæc satis exponat? quis pro rei acerbitate satis exaggeret? an non satis nos natura fecit miseros, nisi & ipsi in suum exitium insurgant homines, suoque fiant vitio miseres? iam verò tota cum quotidie inuertatur imò & subuertatur orbis machina cui demum dabitur esse tranquillo? Cui non lachrymas expriment, communes naturæ clades, communia Reipublicæ mala, quibus dum agitantur omnia, singuli eheu inuoluimur?

2. Heus tu, cui uti video, tranquillitatem nostram lachrymis interturbare est constitutum: agere mœroris tui causam expone tutis auribus, pectus expedi, doloris materiam expectora, etiam cum lachrymis si placet querelas effer, illis enim ut rectè diuus Ambrosius ait, *restinguitur ardor animi, & quasi relaxatus euaporat affectus.*

Deplorantur publica calamitates.

Ambr. de morte Satyr.

3.

Relumit hic deficientes iam penè spiritus, publicarum rerum censor & curator egregius (tanta est obmurmurandi libido, ut ubi viuere vix licet, libeat tamen esse querulis) & malè confarcinatum erigens manu caput; ah inquit, meas res non ago iam: maioribus intersum rebus; publica sunt quæ me perturbant, publicis angor, hæc mihi nouam semper turbarum, imò lachrymarum dant materiam. Quid enim? quis siccis oculis calamitates illas intueatur, quibus prouinciæ nonnumquam integræ, mortalibus exhauriuntur; dum aut segetes passim vento & grandine prostratæ, aut siccis adustæ solibus, aut vermibus locustisque arrosæ, ipsum humano victui tam necessarium panem denegant? vnde cum passim fame laboratur, ingens fit hominum strages, pallent omnes, nec ad labores fame enecti expediunt manus. Quod certè si duret diutiùs, quid porro agant homines, quam ut sedes mutent, si tamen vires ferant, & uti

Fames & pestilentia.

E e

nonnum-

nonnumquam factum legimus, in proximas inuolent prouincias, quasi lupi fame rabidi, & desperatione ultimâ furiosi. Adde, quod sæpissime hanc cæli intemperiem pestes, alique peste haud æquiores morbi consequantur, quibus passim correpti mortales, Deus immortalis, quæ non dant miseriarum exempla! Vacuantur non domus modò, sed vrbes integræ & familiæ, dum funeribus replentur omnia, neque sufficiunt sepeliendis mortuis, viuorum emortuæ ferè manus. Amens sim, si vt fidem faciam, ea enarrauero quæ nulla gens ignorat, nulla non pertulit. Quis verò miserijs his inuolutus non exhorrescat, vbi vis naturæ ab ipsâ naturâ inferitur? Quis non adhorrendam illam, oculisque assiduè obuersantem mortis imaginem impallescat? quis non tremat, cum in excidium hominis, ipsa quæ sustentationi esse debuerant, insurgant elementa? Et tamen hæc patimur, hæc miseri eheu sustinemus.

*Bellorum
crudelitas.*

Quod si verò dum tot vndique malis cingimur, homines ipsos quos natura coniunxit, odia inueterata, rixæque in partes non distraherent; toleranda forent illa, quæ nostris viribus industriæque euitare non possumus. At verò hominem homini lupum esse, id verò prorsus est intolerabile. Neque verò priuatorum lites aut iurgia nunc exagito: illa enim parui momenti sunt, si publica consideres; eaque sunt, quæ aut amicorum interuentu sedari, aut publicâ auctoritate facilè possunt decidi. At prouincias, integras turbari, regna regnis infesta esse, vicinasque regiones in armorum societatem quasi contagio tactas confluere; incendijs, vastatione, funeribus misceri omnia, quis non lamentetur? in excidium mutuam arma, ignesque parari, quasi explendo furori manus humanæ non sufficerent; coire ingentes hominum copias, ordines disponi, explicari acies, sic vt campi latissimi compleantur; quasi si funeribus futuris exiguus locus non sufficeret: denique furibundorum in morem, homines & quidem nuper amicos, inter se concurrere, vim inferre, & repellere, mutuis sese vulneribus conficere, donec crudelitatis suæ ampla satis dederint documenta; quis, inquam, tantam insaniam non deploret, quam tutò spectare non licet? Quid quòd quasi de re benè actâ victor sibi gratuletur, imò & Numini gratias agat; isque passim gloriosus censeatur, qui plures occiderit, hoc est prout ego intelligo, qui humano generi maius intulerit detrimentum.

Et

5. Et verò insaniant illi quibus insanire est collibitum: bella gerant, pedem conferant, mutuis gladijs pereant, per me licet. Verùm interea innocentes homines, qui suò viuebant pacificè, iisdem cladibus inuolui, bonis exui, domibus spoliari, ad summam paupertatem pro victoris insolentiâ redigi, imò & vitâ quam innocuam gerebant nullique infestam, promiscue tamen, quasi si arma gestarint, exui; id verò quem non male habeat, imò & pessimè?
6. Tamen ferenda res esset utcumque, si pro bonitate causa semper staret victoria. Iam tamen id liquido constat, pessimâ cuique causâ, belli sortem sæpè felicissimam obtingere, pro tyrannide stare victoriam, pro impietate triumphos. Quis enim neget Ottomanni domum nonnisi violentiâ stare, & per tyrannidem dominari? Quis non arma Christo Religionique inferre? & tamen nonne Asia totâ victor signa sua explicat hæreditatijs Christiani sanguinis inimicus, armaque triumphis necdum satur expedit, quibus Europam concutiat vniuersam? interim sub eius immani tyrannide gemunt Christiani. Et verò, inter Christianos etiam quotidie Hæretici triumphant. quot non occuparunt iam prouincias, exactis veræ fidei cultoribus? Et rursus inter Catholicos, nonne sæpenumerò, subactis legitimis Principibus, ij tandem regna integra obtinuerè, quibus nullum ius erat nisi in armis; quod quidem ius summa proculdubio est iniuria. Id verò rursus quem non perturbet?
7. Et hoc præterea quam deplorandum est, quòd bella tam crudelia, quæ tota gens patitur, non communi gentis totius, quasi in hoc conspirantis, consensu fuscitentur; verùm ex vnus sæpè pendeant arbitrio? Dominandi libidine quòd arderet vnus Alexander, tota in armis stetit Græcia, tota concussa est Asia; diruta tot regna, vnus cupiditatis fuere victimæ. Quid quòd & priuata Regum odia, priuatas iniurias similitatesque, non nisi nationum integrarum sanguine possint expiari? Troia, mihi testis erit, cum ea quæ ad manum supperunt exempla, quæque in omnium versantur oculis, non multum ad rem meam intersit referre. *Nil enim sub sole nouum est, vt rectè Ecclesiastes, ne scelera quidem: in orbem redeunt, vt perturbetur orbis. Nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est iam enim præcessit in seculis quæ fuerunt ante nos.*

Eorum infelix & iniustus exitus.

Origo temeraria bellorum

Ecclesiastes.

E c 2

Hoc

Publico af-
fidentium
ignavia.

Hoc tamē inter cetera pessimè me habet, quòd Reipublicæ, bel-
lorumq; à quibus communis salus dependet, administratio ho-
minibus nescio quibus demandetur: ij sanè sunt, quos non virtus
bellica, non fortitudo, non sapientia commendat; sed quos vel
natalium solus splendor, vel nimius fauor, vel, quod pessimum
est, adulandi vile obsequium, aut etiam pecuniæ emungendæ
artes euexerunt. Imbelles sunt ipsi, alienâ stant virtute, inter-
rim facinorosi, assentatores, quibus, modò habeant, omne ius
fasque deinceps est. Quid demum hisce præfectis agatur bene?
quas victorias sperare possumus, iustitiâ infractâ, prudentiâ exi-
guâ, virtute nullâ, offenso Numine?

Eorum
auaritia
& inscilia.

Interim deprædationi non hostium modò, sed harpiarum in-
ter nos de nostro dominantium, diuitiasque de publico direptas,
quasi in triumphum publicè deportantium latrociniiis patent
prouinciæ. Munera, præfecturæ, reliquique Magistratus vilissimo
cuique venales prostant, augentur quotidie vectigalia; ad urbium
clauos sedent ij, quos aut euexere enumeratæ pecuniæ, aut qui-
bus ad continendos, propugnandosque contra vim clientes, non
sat est animi. Interim dum apud eos abundant omnia, gemit
optimus quisque: imò quod pessimum est, dum ij qui ad publi-
cum sedent clauum diuites sunt singuli, egenum est ærarium:
apud priuatos millena sunt sestertiùm, in publico vix est obo-
lus. An hæc quisquam iure agi sibi persuadeat? Et quieto esse li-
ceat priuato homini, cum publica sic turbantur? Certè aut pa-
triam non amet necesse est, is quisquis est, quem hæc non an-
gunt; aut sensu communi careat, qui communi calamitate non
perturbetur.

Ærarij
inopia.

et ego
amum
laurellis

S. II.

*Querelis ut satis fiat, ostenditur imprimis omnes nature ca-
lamitates, tum etiam Prouinciarum & Regnorum ortus &
occasus à Deo esse iudicante id rebus humanis conuenire,
quod cuique debet esse satis, ne turbetur.*

Ut querelis
his satis-
fiat, ad Deū

GRauissima sunt proculdubio hæc querimonia, & huiusmodi
sunt hæc mala, vt ad primum, intuentium oculos, pertur-
bent

8

9

10

bent aspectum. Verum in hoc semper miseri fallimur, euentus rerum prout in se sunt quod intuemur, neque alias quam quas sensu percipimus, prostates circumstantiasque consideramus: Dei vero agentis omniaque dirigentis mentem, manumque minime attendimus. Transcurrentes per transtra epibatas, modo malos conscendere, modo ad carinae ima descendere quisquis solum videt, interim ventos velis toto impetu incumbere, vndas vero nauem transcendere, vocibusque & tumultu misceri omnia qui considerat, turbari eum sane necesse est: nescit enim quid agatur; nihilque cum sciat, timet omnia. At vero si circumspicit, nauisque magistrum placido & ameno vultu, nulliusque rei anxium, cuncta sic dirigentem videat, ut nihil non eius agatur nutu; certe aut paruum eum de naucleri arte existimationem habere, ut adhuc me dixisse memini, aut inter tot tumultus animo sedato, omnibus quae aguntur acquiescere necesse est.

recurrendum est,

euentuum omnium auctorem.

11. Fateor, tota nonnumquam in humani generis excidium conspirare videtur orbis machina: tempestatibus maria, imò & montibus horrendis terra concutitur; subuertuntur vrbes integræ, & diffractis terræ visceribus cum incolis totæ absorbentur; fulminibus absumuntur templa & ædes; quin imò erumpentes per sæpe è terræ cauernis ignes, lato in vicinos agros incendio, scedum in modum omnia depopulantur. Non raro tanta est cæli intemperies, ut frigore nonnumquam, calore sæpissime adurantur omnia. hinc fames frugumque inopia, hinc pestis morborumque violentiâ absumitur eheu mortale genus. Fateor inquam isthæc omnia, cuncta miscetur: cladibus, & incendiis prouinciarum, lachrymis planctuque familiarum, cæmeteria funeribus complentur. At vero quis hæc agit? cuiusnam ea mala proueniunt arbitrio? casum si putas, turberis per me licet. Verum si in his omnibus Deum agentem video, & quidem eum cui obediunt omnia elementa, quique rerum omnium apices ipsos perspectos cum habeat, *Attingit à sine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauius*, & quidem tantâ mentis suæ tranquillitate, ut immotus cum sit ipse, tamen, ut rectè Poëta dicit, *det cuncta moueri*; quid demum hæc me tantopere perturbant mala, quæ tanto auctore eueniunt? Quod si auctor placet, an consilium tantæ Mentis, sano homini poterit displicere?

Sap 8.

Quod quidem in natura

12. Et vero hæc naturæ mala rectè dū considero, à nemine nisi à Deo

*tura malis
certissimâ
esse demon-
stratur.*

Deo esse, non potest mihi esse dubium. Nam præterquam quòd passim eiusmodi clades in sacris Paginis prænuntiet, & minetur Deus, illud sanè mihi euidens est, tantam intemperiem quâ orbis modò tempestatibus, modò æstibus, modò fame, modò peste conficitur, non nisi è cælestium corporum variâ inter se conformatione, nubium condensatione, aëris non satis moti corruptione, originem omnem trahere. At verò quis instrumenta tum cælestia, tum sublunaria ita moderatur? Quis nubes agglomerat aut dispergit? quis ventis legem statuit? quis Solis ardoribus modum ponit? Aliam certè manum instrumentis his non admoueri quàm diuinam, cùm non ignorem, superuacaneum est profectò, imò & stultum quærere quo auctore peragantur ea, ad quæ tantâ industriâ video instrumenta omnia adhiberi. Quòd si illud fixum ratumque habeo, Dei consiliò omnia hæc euenire, & quidem omnia agentis *in pondere & mensurâ*, aut Deus ipse displiceat, aut certè placeat consilium, ea sic dirigentis Dei oportet. Nequerationes vllò modo indagare necesse est, vt cuncta rectè fieri decernam. Illud enim iam quasi per antecessum ex præcedentibus *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua.* Certè his non habeo quæ reponam: neque peste, fame, fulmine, tempestatibus, maria terramque misceri, magis conqueri possum aut improbare, quàm Deum esse, & cùm est, quod vult agere.

Nequa minus id verum est, in bellis, & publicâ regnorum ruinâ.

Quæ cum ita sint, neque quæ à naturâ, naturalibusque causis nobis eueniunt mala, negare possimus à Deo directore naturæ, studio consilioque immitti; tamen in ijs quæ bellorum tumultus consequuntur incommodis, id ita dici non videtur posse, cum bella populorumque inter se dissidia, non tam à Deo quàm ab hominum malitiâ, libidine, ferociâ & improbitate oriantur: quæ si desint, certè bella non forent. Non igitur Diuina, inquires, decreta impeto; sed malitiâ humanâ perturbor, quam infausi bellorum euentus, corruptique Reipublicæ turbatæ mores, quasi suo iure consequuntur. Sic quidem tu. Verùm si ipsa quoque bella, omnesque Reipublicæ perturbationes, à Deo oriâ; infelices præliorum euentus, prouinciarumque deuastationes, ex Dei sic omnia moderantis consilio obuenire; si denique peruersam rei communis administrationem, Principum negligentiam & fatuitatem, Magistratum socordiam, ciuium dissentio-

nes,

nes, sapè à Deo de industriâ immitti; numquam non summâ sapientiâ permitti, summâ verò etiam prudentiâ in bonum honorique suo conuenientem semper conuerti finem ostendero; an tandem hisce turbis etiam acquiesces? ita credo facies, ne Deo, dum tibi molestus esse pergis, sis iniurius. Animum itaque si placet aduerte.

14. *Tract. 8.* Illudque imprimis statuendum est, Deum voluisse hominem in commune viuere, vt non sibi solùm, sed & alijs adiumento dum est, ab alijs etiam adiuuetur, vt exposuisse me recordor. Hinc autem vicos primùm, deinde vrbes natas esse non attinet me dicere, res ipsa loquitur. Deinde ne vrbes rursus mutuo auxilio destitutæ, mutuis etiam dissidijs paterent, quæ super agrorum vicinorum terminis, alijsque iniurijs facilè erant exorturæ: item vt commercijs faciendis expeditior esset com meatus; vrbes plures, vicos, ijsque subiectos agros, in Prouincias, Prouincias in Respublicas aut Regna diuisit: quæ cum auctoritate aliquâ deberent coerceri, ne cui libet, ad omne nefas licita foret audacia & impunitas; Reges, Principes, Magistratusque Prouincijs præposuit, quos aut populorum consensus aut à Deo ipso data auctoritas commendaret, & aut nascendi priuilegium, aut noua populi electio futuris deinceps sæculis continuaret. Hinc exorta Regnorum amplitudo; hinc etiam extensa Regna & Imperia, aut Prouinciarum ad Prouincias vltionem coniuñctione, aut Regum contrahentium voluntate, aut connubiorum societate, aut etiam armorum vi.

*Imprimis
regna &
respublica
constituit
Deum.*

15. Verùm cum in tertio Sapientie suæ volumine, Scientiâ inquam conditionalium, id liquidò comperisset Deus, non priuatam tantum familiarum felicitatem, sed ne publicam quidem Regnorum, Prouinciarumque fortunam diu prosperam, diu amplam, diu magnificam esse posse, quin maxima, in tantâ fortis maliciâ & fortunæ plausu, vitia suborirentur; neque vllam fore legibus tam bene munitam Rempublicam, quam non felicitas ipsa dissolueret; magno sanè Diuinoque consilio statuit humana imperia non esse perpetua, neque eam quam fortunam felicitatemue vocant homines, vni Prouinciæ affigendam: toto eam circumduci orbe voluit, neque malis imperia summa denegari, neque bonos etiam iis excludi; sed summâ varietate inter hos illosque diuidi, pro locorum temporumque interuallis, quæ diuinis

*Merito no-
luit Regno-
rum felici-
tatem esse
perpetuam.*

Diuinis maximè rationibus visa sunt conducere. Neque enim in Regnorum Imperiorumque opibus, dignitatibus, flore & potentia, aliter egisse Deum, quàm in priuatorum discernendis opibus, philosophandum est. Has certè inter bonos malosque promiscuè distribuisse, neque tamen eosdem aut semper felices aut infelices semper esse voluisse, idque summâ sapientiâ & iudicio, priori disceptatione iam vidimus. Illud autem D. Augustini Tract. 8. effatum certissimum mihi est, magnum illud Numen, ita curare singulos prout vniuersum; vniuersum verò prout singulos. Singulorum verò exortus & occasus, amplam modò, modò depresso sortem vti videmus quotidie, ita regnorum origines & excidia, vrbium prouinciarumque crescentem felicitatem, miseris denique ruinas, suo quasque tempore accidisse comperimus. Habent non singuli modò homines, sed & Regna & Imperia, sua incunabula & infantiam, habent iuuentutis florem, virilisque ætatis robur verum & habent fatiscantis iam; & in seipsam prolapsæ fortunæ decrepitam senectutem; quâ, etiam non impulsâ, suo vitio prolabantur: præterquam quòd plurima, in ipso ætatis flore, sæpè ferro demerantur.

Describitur occasus & exortus variorum regnorum.

16. Quid hæc re clarius, si vel ipsa imperiorum exordia, ab ipsis Regum primorum Imperatorumque temporibus aspicias? Latissimum fuit totâ Asiâ Assyriorum imperium. Mille quadringenti duo anni, totâ tam vasti imperij ætas fuit; consenuit, occidit. Assyrios debellauit Merodach, regnum ad Babylonios transtulit felici sorte, sed tempore duraturum exiguo, annis nempe centum octoginta tribus. Babylonium Baltasarem Cyrus Persa perdidit. Vnicâ nocte tam clarum Imperium, tenebris perpetuis à nullo vnquam sole videndum inuolutum est; & quasi si per iocū rebus humanis illuderet Deus, inter conuiuij dapas chorearumque plausus periit superba Babylon Imperium Persa tenuit annos 208. Stetisset in Perside diutius fortuna, nisi examinatis nimia felicitate cum Rege Dario Persis, ab ipsâ inde Graciâ Alexander superuenisset, qui sortem & imperium in Graciâ deferret, mox tamen per Scipionis, Pauli Emilij, aliorumque Imperatorum arma, ad Romæ Senatam Capitoliumque deuehenda. Apud Græcos Imperium stetit annis ducentis viginti octo. Stetit Romæ diutius vaga fors; & sub Consulibus quidem 471. annis, sub Imperatoribus verò 502. totâ Asiâ

Afiâ & Europâ, Africæ quoque parte non modicâ, victrices a-
 quilas circumtulit, Orbis domina: donec tandem mole suâ fa-
 tiscens, in varia diffiliit regna tam vastum Imperium, sibi vix
 nomen retinens, Imperiique vmbra, dum singulæ Imperij tan-
 ti partes & ruinæ, potentissima iam sunt, sed à Romano Impe-
 rio diuisa regna. Byfantium nauigauit Romana felicitas, rur-
 susque cœpit Græcia efflorescere: mox sub Ottomannicæ do-
 mus concessit iura, & cuius arma ferre non potuit, iam fert iu-
 gum. Græcia Orbis olim magistra, sapientiæ palæstra, omnium
 artium cultrix, modo barbara est, litterarum expers, omnisque
 politioris scientiæ ignara; vrbibus destituta, tantum ruinis no-
 minibusque nobilis. Belgium tunc siluis infame, nullis nisi in-
 cultis gentibus habitatum, iam in eam deuenit fortunam, vt &
 ciuitatum frequentia, & ædificiorum præstantia, & litterarum
 cultu, & artificiorum varietate, & mercatorum commerciis, &
 incolarum indole moribusque, cum cultissimâ quâque toto orbe
 Prouinciâ conferri possit, & verò etiam plerisque anteferri. At
 quamdiu durabit hæc felicitas, neque hîc modò in Belgio, sed
 in ipsâ quæ terrarum omnium cultissima est Europa? Hoc illi co-
 gnitum est, qui vt Daniel testatur, *Mutat tempora & etates, trans-
 fert regna atque constituit.* Nauigarunt certè in Occidentem fe-
 licia Regum nostrorum, fortissimaque Hispanorum arma; sil-
 uæ olim, iam amœnæ sunt Regiones; plurima isthic modò, cul-
 tissimaque sunt regna, barbaris quondam dominata Regibus, &
 legibus coërcita quæ ferinos potiùs mores, quàm humanitatem
 vllam saperent. iam verò Peruanum Mexicanumque regnum
 barbarie olim infamia, non tam Pluti & diuitiarum, quam ar-
 tium bonarum facta sunt domicilium. Vtinam non iisdem na-
 uibus, quibus Indicæ diuitiæ & deliciæ in Europam, Europæa
 felicitas ad Indos deferatur. certè cum homines mutant mores,
Deus mutat tempora & etates, transfert regna atque constituit.
 Verùm de morum corruptelâ, tantarum vicissitudinum causâ,
 necdum ago: sufficit mihi ostendisse Imperia Regnaque inte-
 gra, modò huc, huc modò migrare & transferri: & quidem vt
 Daniel manifestè testatur Deo auspice, Deo figente & circum-
 ducente fortunam. sic vt verissimum sit illud Philonis, *Verbum
 diuinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumlustrando,
 nunc his nunc illis Imperia vel tribuit vel adimit. Nihil igitur est*

F f

in

Phil. l.
 quod
 Deus im-
 mutab.

in humanis rebus præter umbram auramque lenissimam sine morâ præteruolantem : eunt enim vltro citroque velut æstuarua.

Hæc verò ideo à me dicta sunt, vt nemo, qui vel patriæ suæ calamitates, vel etiam occasus prospicit, miretur id iam fieri, quod toto passim orbe, omnibusque retro sæculis fecit Deus. Splendidissimæ olim ciuitates iam aut ruinæ aut meræ voces sunt: siluæ & nemora, modò sunt fortunarum, musarumque domicilia. Integræ olim nationes, iam in chartis tantummodo historijsque sunt conspicuæ; obscuræ quondam gentes, nunc in ore oculisque sunt omnium. Ita fit, ita agit Deus. Et tamen *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Psal. 14. 17.

§. III.

Per malam rerumpublicarum administrationem regna perdi, regnorumque fortunam transferri ostenditur. Idque quatuor modis.

*Bellorum
tumultus
excitatur,
quando re-
gni fortu-
nam aliò
transuehe-
re statuit
Deus.*

Hoc itaque Dei consilium, procul dubio sanctum & iustum quia Dei est, secum accuratè qui considerat, non mirabitur is, multoque minus indignabitur, tot bellorum tumultibus, tot cladibus, tot ruinis orbem vniuersum concuti & inuolui. An enim quisquam, etiam priuatus homo, ædes mutat supellectilemque aliò transfert, sine strepitu, sine fragore, sine curruum vltro citroque commeantium, bonaque transuehentium tumultu? an supellex ipsa, lecti, tabulæ, mensæ, imagines, tapetia, & quidquid demum in ædibus deferendis erat ornamentis, deponi & conuasari potest, sine malleorum ictibus, parietumque crebro concussu? Hæc qui miratur fieri, nescit sanè quid sit ex ædibus in alias transmigrare. Ita prorsus tecum statue. Audis tympana, tubasque perstreperere, hostiles copias in Prouinciam irruere, vastari campos, superari mœnia, spoliari vrbes, omnia clamoribus personare; & hæc miraris? Non miror ego. Migrant in aliam regionem Regna integra & Imperia, migrat cum omni supellectile nusquam diu quæta fortuna; & tantam mutationem vis fieri sine tumultu? detrahuntur in veteri æde ornamenta, cum campi 18.

campi ciuitatesque exuuntur bonis, aliò transferenda sunt; hostiles copiæ, baiuli sunt, quorum manibus fortuna, Deo sic volente transfuehitur; & quis in tantâ re conficiendâ, allaborantium operi militum inconditas voces, populi clamores, ædiumque delerendarum ruinas mirabitur, cui perspectum est, ingentem magnâque supellectile instructam fortunam, alias terras petere, aliò transmigrare?

19. Ita sanè fit. Regna transferre, aut certè potentiam felicitatemque alicuius Prouinciæ imminuere, nimiumque fastum deprimere iustò iudicio cum constituit æquus Deus; bella imprimis suscitari permittit, idque aut hominum in mimiâ felicitate superbientium vitio, aut alieno inhiantium cupiditate, aut vicinorum Regum inuidiâ, aut iniuriarum vlciscendarum iustâ an iniustâ non disputo, præproperâ tamen & præferuidâ vindictâ. Floret opibus Regnum aliquod; & prout fit, vbi fortunâ turgent Regna, vicinis Prouincijs impotentiùs dominantur; tandem in iras confurgunt contempti populi; fœdera inter se ineunt; exacuitur cupiditas spe prædæ opulentæ, & verò etiam dominandi libidine. Illico denuntiantur bella, fit fragor ad signa conuolantium vndique populorum, expediuntur arma, conscribuntur milites, totaque sub equorum, curruum, tormentorumque pondere tremit tellus. Quid hocce demum rei est inquis? Nihil est planè, nisi quod baiuli aduolent, quorum humeris, aut tota aut magna saltem pars felicitatis, quæ in Republicâ hâc erat nimia, transfuehatur.

20. An verò id passura est, inquires, Prouincia tam opulenta? milite abundat, & quidem tot victorijs exercitato quot bellis, opes ad manum sunt, duces habet militia consilioque præclarissimos; an non & ipsa, quæ ab hostibus impetitur & fortè contra omne fas, Prouincia manus & arma expediet? Expediet proculdubio, & frustra expediet. Quæso admirabiles sed tamen *iustas vias Domini*, quibus ad destinatum sibi finem tandem peruenit *sansus Deus*, mecum si placet perpendite. Cùm Regnum aliquod quantumuis opulentum, validissimoque instructum milite, aut planè pessumdare, aut saltem deprimere Numen constituit; vt arma viresque eneruet, validissimumque instructum milite, aut tiamque eorum qui publico inuigilant, aut adimit, aut sopit, aut etiam in transuersum agit & perdit. Et hæc quidem quia

Quomodo
destruatur
Republ.
ica.

prima sic & maxima est Rerumpublicarum Regnorumque calamitas, & verò etiam ruina. *Frustra enim sunt arma foris, si non est consilium domi.* Libet tamen singulos, per quos in ima descenditur, gradus attentius considerare.

Primò per Regum incuriam.

Primò enim, quid bonæ rei sperari potest, vbi Rex ipse populi rector, iura neque humana neque Diuina perpendunt? non consilio aguntur, sed irâ libidineque dominandi aut imperandi abripiuntur; non prudentiâ sed temeritate bella & indicunt & gerunt; neque recta suadentes audiunt, neque sana consilia admittunt, sed pro libitu agunt omnia, dum ab efferuescente nimium spiritu aguntur ipsi? quis huic Reipublicæ non metuat, quam in ipso capite conspicit perturbatam? 21.

Secundò per Magnatū malā consilia.

Deinde, quid si Regi primores desint, viri litteris, iuris peritiâ, animi moderatione, bonique communis appetentia imprimis conspicui; qui Regnorum leges & expendant & temperent, pro rerum temporumque varietate? Quid si ij ad clauum sedeant, quibus ius fasque in auro est quod passim à prouincialibus emungunt; quibus æs publicum priuati iuris est; quibus Deus & Religio tam diu placet, quamdiu Politicæ seruit; quibus ipsa demum Politia, Regnique salus domesticæ famulatur œconomix? Quid si, inquam, eiusmodi colluies in pretio sit, effæminatque auscultentur assentatores, viri verò ad virtutem æquitatemque facti aut ignoti sint, aut si noscantur sint contemptui; in quas non syrtes impinget, eiusmodi rectoribus gubernata Respublica? Certè non aliam ob causam, distractum est Israël Regnum: decemque omnino tribus rebellionē abreptas, ab infano sapientissimi Salomonis filio Roboamo recessisse, testantur sacræ paginæ, quòd efferuescentium primo sanguinis calore iuuenum, quibuscum fuerat enutritus, vefaniam consuluerit, contemptis sana suadentium seniorum canis, eorum inquam qui rebus agendis sub Salomone insenuerant. *Dereliquit Roboam consilium senum quod dederant ei, & adhibuit adolescentes qui nutriti fuerat cum eo, & assistebant illi,* inquit sacer textus. Assistebant iuuenes & fatui, illique consiliis dum assistunt, discedunt iusto furore abreptæ tribus decem. luditur ab adolescentibus in senatu, & isthic dum luditur, illuditur Roboamo, & perit Regnum. 22.

Tertiò per Magistratum incuriam.

Tertiò, vt iam sana sit Regum mens, communis boni perquam studiosa; 23.

studiosa, vt viros omni peritiâ probitateque commendatos sanctioribus consiliis adhibeat; vt hi omnia rerum momenta sedulo perpendant, decretaque populis militiæque saluberrima statuunt: quid hæc omnia ad communem incolumitatem conferent, si mandata per inferiores magistratus in ciuitatibus infringantur, aut executioni non mandentur, aut non ferio sed per ignauiam exigantur, aut certè à plebe per tumultum & seditio- nes concitatâ contemnantur? An non pessum ire dixeris, his moribus corruptam Rempublicam?

24. Quartò denique, si ea quibus Prouincia defendi debet arma, in ignouorum Imperatorum manus tradi conspiciamus; aut si viri quidem sint qui imperant, imbelles tamen seditiososque, nec disciplinæ militari assuetos milites nanciscantur: aut si fortissimi quidem sint milites, ducum tamen, vt quos examinatos vident, indignabundi detrectent imperia, nec eorum consiliis acquiescant, ac propterea inuiti signa quasi per vim sequantur; quid demum felicitatis ab hoc exercitu sperari potest? nonne actum dices cum tam perturbatâ republicâ? neque iam opes, aut virtutem bellicam, neque prudentiæ famam, neque relatas olim victorias, neque splendorem urbium, neque armorum copiam quidquam conducere, nisi vt maiori sint hostibus ludibrio, luculentiorique pateant & prædæ & ruinæ? His sanè modis per- dita sunt quotquot perierè imperia; & quæ non periire omnino, his tamen artibus è fastigio sunt deiecta, & depressa.

Quartò per
populariū
ignauiam
& inobe-
dientiam

§. IV.

Vt regni felicitatem imminuat Deus, permittit mala consilia Regum, ignauiam militibus immittit, Præfectorum insolentiam, populique dissensiones excitat.

29. **A**gedum nunc, Reipublicæ fatiscantis plagas qui consideras; quo tandem auctore infligi eas arbitraris tu? Certè si adiacentes rerum circumstantias, easque quæ rebus agendis proximè adhibentur manus attendimus, scio te, cum vulgo, Reges ipsos incusaturum; Optimatum arrogantiam, Imperatorum imperitiæ aut ignauiam, Magistratum socordiam, populi dissentionibus,

Quartor
his modis
vititur
Deus, cum
castigare
vult regna

publica imputaturum mala. Sed si supra vulgum vis sapere, memento non esse hæc nisi Dei Rempubicam assligentis, fortunamque nimis prosperam educentis, alioque transferentis artificia. De se certè testatur ipse, non nisi suo consilio & industriâ stare Regna quæ stant: consequens igitur est, non nisi eius consilio & occidere. occidunt autem his quos dixi modis. Audi diuinam Salomonis ore, loquentem sapientiam. *Meum est consilium & equitas; mea est prudentia, mea est fortitudo.* Hinc nemo sibi, siue de prudentiâ regendiue scientiâ, siue de militari gloriâ blandiatur; nam cum hæc omnia mea sint, & à me sint, illud sibi cuncti persuadeant quòd *per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Quibus sanè verbis ne idem dici putet, eleganter vt solet noster Salazar, quatuor distincta munia docet contineri, quibus vniuersa stat Respublica: Regum nimirum pro potestate sibi legitimè datâ imperantium; quibus ne temerè agant, nihil adeo necessarium est, quàm *consilium* rectum & probum. His proximi sunt Optimates, primi à Rege, vt vocantur Ministri siue Primicerij, quos rectè *legum conditores* appellat, vt qui altioribus interfunt consilijs; totique Regni statui dum inuigilant, quid sit conueniens bellumne an pax, quæ vectigalia exigenda, quæ leges aut innouandæ aut immutandæ, quæ restringendæ, quæ latius explicandæ, in commune statuunt. His autem vt *iusta decernant, Prudentiam* imprimis esse necessariam, in comperto est. Tertium quartumque munus est eorum, quibus regiam voluntatē Optimatum consilio rectè gubernatam, executioni mandare prorsus incumbit. Et hi quidem in Militiâ *Principes* sunt, copijs præpositi, quorum in imperando agendoque intrepidè id quod bono Regum consilio statutum est, *Fortitudo* constantiaque maximè requiritur. Domi denique vt ciuium stet concordia, Regumque & Optimatum inconcussa sit authoritas, *Potentes* hoc est, vt ex Hebræo rectè interpretatur doctissimus Salazar, ciuiles Magistratus probi vt sint iustique necesse est, neque qui partium studio aut ære corrupti venales faciant leges, Regumque decreta pro libitu & fauore, aut emolliant aut nimium premant; sed quibus *equitas* imprimis cordi sit *vt decernant iustitiam*, eamque tum potentibus, tum etiam miseris & humilibus, ex æquo interpretentur. His quatuor basi-

Prou. 8.

ibid.

Salaz. in
hunc locū.Prou. 8.
ibid.
Prou. 8.
ibid.

bus

bus omnem Rempublicam, incolumis vt stet, incumbere necesse est: vnam qui subuertit, luxat omnia.

26. Iam verò intelligite tandem mortales, per quem res humanæ stent. Magna sanè de Regibus vestris Imperatoribusque, præsertim ijs qui prima Monarchiæ aut Reipublicæ iecere fundamenta, iactatis elogia. Magni titulum vni affigitis; alter fortis, Iustus alter, Magnanimus hic, Prudens ille, quasi per antonomasiam à vobis appellatur. Et verò actum benè; vt qui præteritorum Regum memoriam grato animo reseruatis. Verùm tantâ virtute, tantâque animi moderatione Reges quòd habueritis, qui consilio & quidem accurato, non verò pro libidine agerent omnia; ecquis id vobis præstitit, nisi is qui Regno vestro bene voluit, beneque consuluit Deus? certè *per me Reges regnant*: & si non bene regnatur, nisi vbi consilium adhibetur rebus; illud certè & adhibere velle, & adhibere cum vis, habere penes te, *non est volentis hominis sed miserentis Dei*. Sanè *meum est consilium*; & sic *per me Reges* rectè sapienterque *regnant* sic vt Regnum floreat. Israelis statum distrahere in parres cum statuisset Deus, præferuidum Roboamum genti præposuit, qui feruore nimio abreptus, populi iustas querelas, minis flagellisque compescere, stulto sanè consilio in animo haberet. Gothicum imperium funditus in Hispaniâ euertere cùm vellet idem Deus, Roderico regni habenas tradidit, qui luxu delicijsque, & tandem etiam libidine violentâ Gothicum sanguinem emolliret, & apud suos in inuidiam traheret.

27. Deinde, si præstantissimos habetis viros, qui Regni iura æquitate moderentur, consilio rerumque experienciâ valeant plurimum; ne id quæso vobis adscribite, aut esse tales viros aut etiam in consilium adhiberi: *mea est enim prudentia* inquit sagax Deus, quâ & illi iusta decernunt, & vt decernere possint, Regum auribus admouentur. Miraris tu insanissima in sapientissimo Regno dari consilia, & quidem à viris cæteroquin prudentissimis? *Insatiuaui certè Dominus consilium Achitophel*, id quod optauerat Dauid, Absalonis insolentem audaciam vt infringeret. Miraris vtilissimas publicæ rei rationes, à magnis beneque Regno volentibus viris excogitatas, aut studio partium, aut Optimatum risu, aut etiam improbitate quorundam explodi, rejci, subuerti? Subuertit ea Deus, ne regno benè sit, cui malè

vt

vt sit, iam decreuit. Miraris denique præclarissimos viros, omni-
 nique exceptione maiores contemni, domi res suas agere; cum
 ineptorum hominum interim impudentiâ & inscitia, res pu-
 blicæ perduntur? perdere eas vult Deus, & vt perdat isto vtitur
 artificio. Neque casu id factum putes, vt fanatici aliquot iuue-
 nes, cerita capita Roboamo de consiliis essent: studio id Deus
 fecit, Israël's Imperium vt distraheret. studio autem hanc Re-
 gno plagam fuisse incussam, manifestum est. id enim se factu-
 rum Salomoni prorsus fuerat minitatus. *Quia . . . non custodisti* 3. Reg. 11.
pactum meum, & præcepta mea que mandavi tibi, disrumpens scin-
dam Regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus
tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scin-
dam illud. & vt scinderet, infatuauit Dominus consilium Roboa-
 mi, neque aliam tanto Regno subuertendo machinam adhibuit
 Deus.

Tertio Pro-
uinciali-
bua & mi-
litibus eri-
pi forestu-
aliam.

Quam verò id ridiculum est, in militum robore & ferociâ, 26.
 Ducum fortitudine, disciplinâ militari, armorum inclytâ glo-
 riâ, sibi homines quòd tantopere gratulentur; quasi ea aut gen-
 tis indoli foret casu congenita, aut proprio Marte exercitioque
 acquisita? Hinc, sua suosque iactantium pleni sunt historico-
 rum libri: Poëtarum etiam si placet phalerata carmina, nescio
 quid sibi gratum obstrepunt, dum Martem canunt, quem non
 sequuntur. Interim qui viros Marte inclytos intuemini, qui mi-
 litum expeditas manus contemplamini, an illum obliuiscimini,
 cuius imperio non tantum *plumescit accipiter* teste Iobo, aquilif- 1ob. 39.
 que & alæ succrescunt & vngues, verum etiam disfluunt non-
 numquam & eueruantur? Florentem esse Rempubicam cum
 vult Deus, animos roburque rebus magnis agendis par, Impera-
 toribus militibusque sufficit Deus, subuere cum vult, genero-
 sam illam militiæque natam effæminari sinit indolem. Ducum
 consilia & mentes in discordiam trahit, ignauiam pauoremque
 immittit, militum masculum robur emollit, omnisque laboris
 & imperij sunt impatientes illi humeri, quibus tota quondam
 Reipublicæ defensio incumberebat. Hinc in omnem licentiam
 dissoluti vagantur, totâque Prouinciâ non tam arma, quam ti-
 morem vastationemque circumferunt: hostis vultura iam non
 ferunt, cuius antea ceruicibus incumbere, ludus fuit. Quid mi-
 rararis, quid obstupescis? Dei hæc machinatio est, *Mea est fortitudo,*
 inquit,

inquit, & per me militiæ Principes imperant, rectè cum imperant; per me strenui, per me fortes sunt. & verò ignavi quod sunt, imbelles, & socordes, meo consilio meâ destinatione id sunt.

29. Neque verò hæc à me ita dici putetis: certè nihil tantopere inculcant sacre pagine. Israël ni sibi pareat, ruinam minitari cum vult Deus, præxim edocet quam Reipublicæ subuertendæ, Quod probatur ex Scripturis.

Leuit. 26. *Ponam, inquit, faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris . . . fugietis nemine persequente.*

v. 17.

v. 36.

Quod vt clariùs exponatur, subiungit, *Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium; terreat eos somtus folij volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente, & corruent singuli supra fratres suos quasi bella fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere.*

Ex historiis.

Manifesta res hæc est, plurimisque historiis confirmata. Quis Romanum Imperium diuturnitate temporis, armorum pondere, victoriarum gloriâ, regnorum amplitudine per mille iam annos confirmatum, non dico conuellere, sed vel concutere potuisset, si mascula stetisset virtus, solitusque in pectore sanguis? tota Europa supplex Romam adorabat, quæ tamen sub Augustulo per partes distracta, tandem periit. At per quos? per gentes omnino barbaras, obscuras origine, & de quorum natali solo disputatur. & tamen, è cauernis siluisque immanes leones immisos dixeris, prout tunc trepidare vidisses Imperium, hæc ipsa trepidatio hostibus audaciam dedit, auxitque frequentiam. Wandali, Gotti, Alani, Teurones, Alemanni, Burgundiones, Franci, Longobardi, Hunni, Nortmanni, incogniti ad eo etiam sibi ipsis populi, vt ne inter successores quidem, satis de primâ eorum origine conueniat: illæ inquam obscuræ gentes, moribus barbaræ, terrorem sui nominis toto Romano circumtulerunt Imperio, Romanosque quos in tantum fastigium bellica virtus euexerat, solus debellauit panicus pavor. Quid enim siluestres homines, præustæque sudes poterant aduersus Romana arma, si manus inuenissent solitas quibus gestarentur? omnes pallebant imminente periculo, nec cuiquam sat animi qui discuteret; vires consiliumque interturbauerat immissus timor. At à quo? ab eo certè qui Romanum Imperium perditum ibat, Deo. hic, quos animos Romanis ademerat, Barbaris præstabat. Trecentis annis in Hispania steterat Gottica maiestas & gloria armis virisque in-

G g

clyta:

clyta: septem dierum prælio, tota Gottorum gens aut militia, cum Rege Roderico, perit & extincta est; totaque breuissimo temporis tractu, sub Maurorum iugo fere concidit Hispania. Quid? an nulla ergo, in tot bellicosissimis Prouinciis, suppetunt quæ expediantur arma? nullus se, inconditæ potius multitudini Maurorum, quàm bellicæ eorum virtuti opponit? Nullus. omnes tenet pavor, donec Gottica prorsus concideret res, & Regnum: ita Deo, Regnorum euersori & arbitro, visum. At verò vt Hispaniæ misertus, è Maurorum manibus sceptrum eripere, illudque melioribus regibus statuit contradere; ecce Pelagij animos inter Asturiæ montes & cauernas excitat, qui cum mille tantùm viris, & quidem longâ fame obsidioneque enectis, leonis instar Maurorum acies sanè ingentes intrepidus inuolat, prosternit, & quasi imbellia pecora dilacerat. Hoc restitutæ Catholicis Hispaniæ initium. sumunt animos Hispani, quique hactenus nonnisi Gottorum imperio famulari didicerant, ipsi sibi Reges statuunt, regnaque Mauris aut erepta aut eripienda designant. instant Barbari, copias innumerabiles educunt; occurrit cum collectitio tantùm, & ad pugnæ strepitum conuolante inexercitato milite Ramirus Rex; & ecce, totius Hispaniæ domitricem aggredditur copias, nec pauciora quam sexaginta Maurorum millia gladio occumbunt. Non minor poterat esse strages, vt manifestum esset à Deo dari victoriam. Taceo nunc portentosam illam, nullisque fastis memorandam satis cladem, quæ ad Tolofanas Nauas, à nostris eidem genti illata est, quâ ducenta omnino Maurorum millia, & hæc inter, triginta equitum millia, iustæ Dei vindictæ, Hispanorum manibus sunt litata. Taceo innumerabiles exinde victorias. Illud tantùm quæro; vnde in populis iam deuictis, quique numquam arma gestarant (apud Gottos enim solos, omnis Hispaniæ militia steterat) tantus vigor animi, tanta audacia, vt victricem gentem totique Hispaniæ imperantem aggreddi non timuerint, quorum impetum tunc, cum res Hispanicæ florebant, ne oculis quidem ferre sustinuerint? Vnde tantus in armatâ Hispaniâ pavor animorumque defectio, tantus verò in exarmatis populis, omnique subsidiò destitutis armorum ardor, & bellandi appetentia? Insanum certè sit id quærere; cum satis constet ab eo concitatos, cuius est omnis fortitudo, quique vires animosque militibus etiam inermibus præstat,

Mariana
l. 7. c. 2.
Hist.
Hisp.

ibid. c. 16.

stat, cum imperia vult erigere; deiicit vero quantumcumque feroces spiritus, superbientis populi fastum deprimere cum decreuit. Et vt arma, quibus plus æquo, dominantur, Regibus detrahât, magnâ sanè arte, detrahit animos viris, & viros armis. Atque hic quidem tertius est, quo Deus Respublicas euertit, modus,

30. Quartus denique est Magistratum inferiorum licentia & dissolutio: Præfectorum exactorumque, aut nimia in vitijs tollerandis conniuentia, aut etiam in castigandis, exigendisque aut legibus aut vectigalibus, importuna crudelitas. Nolo huic argumento immorari; non enim quemquam reprehendere, ex instituto rei quam pertracto nunc est. Illud tantum quod ad rem meam iam facit assero, Præfectorum ineptias vitiaque, tunc maximè Deum permittere, dissoluere cum vult Regna: tunc enim concitatur ferocia populi, iugumque excutitur, quod nimium premit. Certè Israëlitarum gentem Ægypto tam vtili & commodam, ferocienti nimium regi barbaro detrahere cum vellet Deus, Præfectorum incumbentium Israëliticis ceruicibus vesaniam, aut permisit aut procurauit. Impia quidem decreta tulerat Rex Ægyptius; ingemiscebat Israel, sed tamen tacebat. Crudelitatem suam cum adhibuere Præfecti, etiam præter iussa regia feroces; tum verò *clamanit Israel, propter duritiam eorum qui præsunt operibus*. Imperabantur lateres, quotidie ab Israëlitis tamquam mancipijs, ad dimensum excoquendi, coquebat eos Israel, & tacebat. Negabantur struendo igni paleæ, *dispersusque est populus per omnem terram Ægypti, ad colligendas paleas*. mandatis Regijs paret Israël, & mœstus tacet. At qui Regem immodicè imperantem tulerant, Magistratum inferiorum insolentiam non tulere. Nam Præfecti quoque operum instabant dicentes, *Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, cum dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt, qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis*. Tantam enim verò insolentiam, non est passus populus quantumuis humilis: & qui tacuerant hætenus, *Venerunt prepositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes, Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis & lateres similiter imperantur, sed quod intolerandum omnino est, En famuli tui flagellis cedimur, & iniuste agitur contra populum tuum*. At à quibus? ab exactoribus

Quarid
Magistra-
tibus infe-
rioribus
ausorri
permittit
aquitatem.

Exod. 3.

v. 7.

Exod. 5.

v. 12.

v. 13.

Pharaonis. Clamavit populus, secessionem fecit, ab omni opere abstinuit, iugum excussit: & patientiam quam mandata Regia, quantumvis dura non extorserant, Præfectorum licentia penitus labefecit. Nihil habeo quod addam: vetera potius iuvat recensere exempla, quàm quæ ad manum sunt hodierna. Illud mirari libet, quod veteribus non sapiamus malis. Quidquid id sit, hoc sanè constat, duritiam nimiam imperantium, nimiam quoque in dissimulando conniuentiam, populos subiectos aut exacerbare, aut in nimiam licentiam dissolvere: cui cum sero adhibes medicinam, exacuis malum, mederi cum vis. Hinc plebis querimoniam, iustam nonnumquam, iniustam sæpissimè; hinc liberæ voces Regiæque Majestati iniuriæ; hinc seditiones; hinc tarda, & quasi violenta obedientia; hinc subsidia quæ Regibus præstantur parca, & non nisi per vim expressa; hinc denique magna caput inter & membra dissentio. Quod cum sit, sanè utrumque perire, aut saltem languere necesse est. Hæc igitur qui videt mala, ita secum statuatur, Deum Rempublicam aut perdere prorsus velle, aut felicitatem nimiam imminuere.

S. V.

Ne verò quis conqueri de Deo possit quod hæc permittat aut imittat, ostenditur iuste ob peccata populi, ab eo Regna fortunamque transferri.

*Bene hæc
omnia
Deus per-
mittit, ut
peccata
puniat aut
eis monea-
tur.*

ITa quidem statuo, inquis; video prorsus, video imminutam esse Regni Majestatem, opes abactas, luxatum Reipublicæ statum, depressam dignitatem. Et hoc ipsum est quod me angit; hinc vlcus latet, eheu nimium animo infixum malum: patriæ gemo, de cuius occasu malè metuo. Verùm, utcumque Reipublicæ studiosus sis, non sic tamen, uti credo, Patriæ vis esse pius, Deo ut sis impius, aut certè iniurius. Minimè, inquis, itaque, si id liquidò ostensum est, Deo auctore, hæc malorum futurorum initia & quasi seminaria immitti aut permitti, ut Patriæ exorbitantem felicitatem coerceat; an id te meritò angat, quod sano iustoque consilio statuit Deus? obesse is videt, quò nimium turgens, sanguinem; quis igitur phlebotomiam venæque sectionem, egrè

37.

egrè ferat adhiberi, quam sapientissimus præscribit medicus? Quæso ne actum agamus; ostendimus superioribus dissertationibus, nihil non summâ accuratione à Deo fieri; nihil non summâ deliberatione, & consilio decerni: modò, hæc ob quæ gemis mala, à Deo præscripta esse demonstratum est: quid ultra querimur? quid angimur, quasi si iniuste hæc mala toleremus? certè felicibus & bonis diu esse, per humanam imbecillitatem & malitiam non datur, vt luculentè pertractauimus. Itaque si felix hæctenus fuit Prouincia, si opulenta, si viribus pollens; certè aut malum iam contraxit, aut sanè prope est vt contrahat. Non contraxit, inquires, Religione viget Patria, & Fidè, virtus in pretio est. Testantur id sacra & sancta, testantur templa, testantur populorum ad ædes sacras confluxus & frequentia. Audio: id sanè si ita est vt dicis, futuro tempore bene consulitur: felicitatem enim quæ iam in luxum abibat magnis passibus, paulisper Numen temperat, vt diu sani, vt diu boni sitis. Futuro itaque occurrit malo prudens Deus.

32. Verùm, quâ fronte dicere audebimus, nos malum non contraxisse, quod intra viscera Reipublicæ reconditum est? Floreat sanè exterior vultus, sanitatemque præferant, qui videntur oculi, quid si interea interno calore depascantur viscera, & vlceribus putrescant, an manum à corpore abstinebit medicus, si toti corpori bene vult? Foris apparet Religio, intus impietas dominatur; in vultu modestia, in animo omnis impudicitia; in plateis homines frugi sunt & Stoici, in domibus Epicuri de grege porci; luce mediâ humani & modesti, in tenebris salaces & in omnem proiecti libidinem; ore non nisi iustitia concrepatur, & nusquam minus quam in eorum conclauibus reperitur; denique foris vultu prætenditur pietas, interea Deo rebellat suis appetitibus immerfa mens. Et hæc quidem occulta vitia sunt, & abscondita, non tamen Deo, scelera. Quid verò aperta commemorem, & quæ omnium tenentur manibus oculisque? non tam id iam ago, vt scelera nimiam eheu dominari demonstrèm, quàm vt ea, Rerumpublicarum depressione, Regnorumque nonnumquam ruinâ, meritò castigari denuntiem.

33.
Vide
Deut. c.
26. totum

Neque tamen id à me denuntiari necesse est, quod toties se facturum minatus est, sceleribus irritatus Deus. Plenæ sunt factæ historiæ, plena Prophetarum oracula, quibus aut peccatis

Et si scelera non sunt manifesta, sunt sanè multa occulta.

Scelera ita punire Deû testatur Scriptura.

ira intentantur, non nisi horrendis cladibus, urbium subuersionibus, publicâque deuastatione expiandâ; aut etiam in scele-
rum vindictam, gentium integrarum crudeles omnino interne-
ciones, orbi exemplum futurâ, referuntur. Non est certè quod
nos palpemus miseri, & tamen contumaces: Dei id est oracu-
lum. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* & rursus Isaias, *ruit Ierusalem & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinventiones eorum contra Dominum, ut prouocarent oculos Majestatis eius....*
Vae impio in malum; retributio enim manuum eius fiet ei.

Iudic. 2. 1.
v. 14.
Ier. 5. 13.

Ecccl. 10.

Isa. 3.

*Ob scelera
populi saepe
patiuntur
Reges opti-
mi.*

*Sarius in
eius vita.*

Neque profectò aliena incusamus scelera, sed detestemur no-
stra. Non Regum Principumque peccatis vltices adhiberi ma-
nus conqueramur; plebs enim sæpissimè in omne vitium proie-
cta est, & quod peccat populus, plectuntur sæpenumero Reges
etiam sanctissimi: exuuntur Regnis illi, dum subditorum faci-
nora iustitiam misericordi Deo vel inuito extorquent; pereunt
præclarissimi in acie Duces & exercitus, cum nimiam luxuriâ ci-
uitates diffluunt. Sanctissimum quis neget fuisse Francorum
Regem Ludouicum? quis sanctissimam pro religione, contra
Saracenos egisse causam inficiabitur, cum florentissimas ex Eu-
ropâ copias in Syriam eduxit, Christiano nomini Religionique
à barbaris pessumdatâ, consulturus? & tamen tam bonam cau-
sam cum agit, morbis grassantibus ita eneruantur copiae, vt ex
triginta duobus fortissimorum militum millibus, vix sex millia
superessent. Fugit itaque Rex, & tandem ipse cum duobus fra-
tribus Alfonso & Carolo, in Barbaras manus incidit, & in te-
trum carcerem abducitur sanctus Rex. An sua is peccata luit,
qui mortali scelere numquam contaminauerat castam mentem;
an verò luxuriantis Regni crimina? Fractus fuit, non tamen in-
fractus planè Ludouici animus. Vires resumat, rursusque piam
pro Christo acturus causam, classe validissimâ instructus Tunc-
tanâ Saracenorum, etiam tum pyraterio infames, inuadit oras.
Exponit milites, castra explicat. Rursus ingenti peste exercitus
corripitur, quâ tandem Rex ipse cum Ioanne filio, miserè qui-
dem, sed tamen sanctissimè extinguitur. Eadem, tanto post tem-
poris interuallo, communem Christiani nominis hostem exactu-
rus, tentat littora; inuictissimus & verò etiam piissimus Impera-
tor Carolus Quintus: educit milites, non tam bella quàm victo-
rias

34.

rias circumferre solitos. Pallet Ottomannorum luna, & iam cornua contrahit; actum est de Algerio. Cùm ecce validissima tempestas incumbit classi; colliduntur rates, & breuissimo temporis tractu, centum quinquaginta naues, cum vectoribus, impedimentis, tormentisque omnibus illico vndis absorbentur, totâ quæ supererat classe fœdissime dilaceratâ. Omnes quotquot erant equi in mare deiecti, vt homines transfuehdos reliquæ classis caperent. Spectat ingentem cladem ex littore, numquam magis quàm iam inuictus Carolus; nullumque gemitum exprimit fortuna tam aduersa, in causâ tamen adeo sanctâ. Illud tantum, se dignum ingeminat. *Fiat voluntas tua.* Alloquebatur certè maiorem se, se tamen etiam maior Carolus. An verò sanctissimos hosce Principes, sua luisse scelera dixeris, an aliena?

*Sardonial
in eius vi-
tâ.*

35. Quod verò non omnes Reges; Ludouicos esse dicis aut Carolos, non paucos esse Heliogabalos & Sardanapalos; fateor, ita est. Sed tales esse Reges, cùm tales sunt, non nisi subditorum sceleribus imputandum est. Castigare eum vult Deus plebis mala, eiusmodi permittit vt sint capita, per quæ toti corpori male fit. Infausta tu dicis consilia esse, quæ perdunt Rempubicam; fateor id rursus. Sed infausta vt sint, id subditorum merentur scelera. Viros habet præclarissimos Prouincia, eos non audiri clamitas; verùm id populi rursus merentur scelera, quibus castigandis studiò incumbit Deus. Scelera nostra sunt quæ sanis consiliis intercedunt, scelera sunt quæ ea interuertunt, ne sceleribus stet impunitas.

*Est illi
mali sunt;
eos permit-
tu tales esse
Deus ob
scelera po-
puli.*

36. Denique ne Ducem insolentiam; militumue ignauiam tantoperè argue malis publicis causam dare. Enim verò causam dant, sed ignaui quod sint milites, discordes Duces, dissolutus in omnem licentiam exercitus, hoc Prouinciæ, quam pœnas dare vult Deus, effecere scelera. Tandem ab ignaui hoste fortissimi quod superemur, nostra faciunt vitia. Verissimum est illud Hieronymi, *Peccatis nostris barbari fortes sunt, & ab ignaui castigari nos vult Deus, vt manifestior sit Dei scelera vindicantis manus.* Quod sanè de Hispaniarum olim subuersione præclare Diuus Saluianus exequitur, etiam id nunc est verissimum; *Numquid non erant in omni terrarum orbe Barbari fortiores, quibus Hispani traderentur? multi absque dubio, imò ni fallor omnes. Sed ideo ille (Deus) infirmis hostibus cuncta tradidit, vt ostendo, et scilicet,*

*Vt & mi-
litum Du-
cumque
ignauiam.*

S. Salu. l.
7. de Pro-
uid.

7012

non vires valere sed causam; neque tunc ignauissimorum hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum impuritate superari. Vt verè in nos venerit dictum illud, quod ait ad Iudeos Dominus; secundum immunditias suas & secundum iniquitates suas feci illis, & auerti faciem meam ab eis. Et rursus. Nec illos naturale robur fecit vincere, nec nos nature infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persuadeat, nemo aliud arbitretur: sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.

Scelera vitiorum hostium, suo tempore castigabit Deus.

Neque verò iam mihi quisquam tritum illud obiiciat, etiam apud hostes esse flagitia & scelera, multò etiam magis detestanda: contra omne fas mouere bellum, Hæreticos esse, Mahumetanos esse, Fidei Religionique rebelles. Sint sanè; sed hoc nostrum non est inquirere. Iustè interim quæ patimur toleramus: si non ab hostibus stet iustitia, à Deo certè stat. Suam is causam agit, per iniusta hostium arma. Impij erant Amorrhæi, idololatræ Philistæi, & tamen eorum manibus castigandus datus est Israël. Interim yti rectè Augustinus Non leteris impie vel Tyrane, quoniam virga vel flagellum efficeris. Nouit enim prudens Dominus, nec ignorat pius Pater, post castigationem promouere discipulum, & post debitam emendationem paternæ hereditati præficere filium, flagellum verò siue virgam, incendio flammaram comburere. Interim, inquires, florent impij, viget hæresis, scelesti dominantur. Cur non illorum insolentiæ frænum iniicitur? Ah miser! an igitur, vt rectè Augustinus Diebus tuis paucis vis impleri omnia? Que omnia? vt damnentur omnes impij, & coronentur omnes pij? impleat ea Deus in tempore suo; nouit ille tempora & momenta, nouit mensuram scelerum; habet quod reponat. Emarcessent sine dubio, quæ modò florent virgæ, exemplum suâ clade daturæ orbi, quæ modò in castigandis iustis, exempla faciunt.

37.

August. ser. 19 de ver. Dom.

Aug in Psal. 19.

S. VI.

Itaque publicis malis acquiesce. quod vt facias, non clades ipsas, sed Deum auctorem, & peccata, causam impellentem aspice.

HOc itaque, si mente moueri non vis, inter tot tumultus, varietatesque rerum imprimis age, vt in eas oculos non detorqueas, obtutumque figas. Si quis rotam, quæ super axe celerrimè circum-

38.

circumagitur, oculis diu aspiciat, oculorum aciem rotatione tam celeri turbari sentiet, imo & dimoueri cerebrum. Nimis magna est fortis fortunæque modò prosperæ, modò fugientis variatio, quàm vt eam immotus aspicias: turbaberis proculdubio, si patriæ calamitates, clades, & occasus consideras: mouentur omnia, moueberis & tu. Verùm vt inter tot fortis alternationes imperterritus sis, & immotus concusso orbe, axem conspice, Deum inquam immotum semper, & qui nihilominus *dat cuncta moueri. Hinc omne principium, huc refer exitum.* Pestem immittit ille, calamitates ingerit, cladibus Rempubli- cam eneruat, consilia dissipat, animos eripit: deprimere nos profusus vult; deprimamur sanè; perire nos etiam vult; pereamus profectò, numquam futuri securiores, quàm cum sic perimus: feramus, ferre quæ nos vult Deus, sed non queramus. Atque hoc interest inter Dei cultores, Ethnicosque aut impios, inquit D. Cyprianus, quod dum iisdem cladibus inuoluimur, aliter eadem atque aliter feramus. *Putatis inquit nos aduersa vobiscum equaliter perpeti, cum eadem aduersa videatis à nobis & vobis equaliter sustineri? Apud vos, impatientia clamosa semper & querula est. . . . Non ergo idcirco compares vobis & equales sumus, quia in isto adhuc mundo & carne hâc constituti, mundi & carnis incommoda vobiscum pariter sustinemus: nam cum in doloris sensu sit omne quod punit; manifestum est eum non esse participem pænæ tuæ, quem tecum videas non dolere.* Lamententur iraque alij, quibus Dei artes perspectæ non sunt, patriæ ruinas & clades; tu Christiane oculum in Deo figens, illud identidem cum gratiarum actione in gemina: *sit nomen Domini benedictum à seculo & vsque in seculum. Quia Sapientia, & Fortitudo, eius sunt, & ipse mutat tempora & etates, & transfert regna atque constituit. Dat sapientiam sapientibus, & scientiam, intelligentibus disciplinam.* Sic nempe quieta erit, quia semper in Deum grata patientia.

39. Deinde ne cladum quos credis auctores propiùs contem-
plare; non Ducum ignorantiam, militum ignauiam, Regum im-
peritiam, Magistratuum perturbationem, sed scelera Reipub-
licæ, omnis mali fontem & originem intueri: illudque tandem
supplex cum Dauide confitere. *Posuisti tribulationes in dorso no-
stro, posuisti homines super capita nostra, sed eos quos peccata no-
stra merebantur. Bonum est, inquit Augustinus, vt consideremus*

H h

nos

Horat.

Cypria: ad
Deme-
trianum

Daniel. 2.

Psal. 65.

Augu. in
illu locu
Psal. 65.

nos peccatores esse, & sic toleremus impositos super capita nostra, ut
 & nos Deo confiteamur, quia digna patimur. Quid enim indignè
 pateris quod facit qui iustus est? Seuire videtur Deus cum
 ista facit: ne metuas, numquam sic seuit, ut perdat. Quando male
 viuus, si parcat, plus irascitur: omnes ista tribulationes, flagella sunt
 corrigentis, ne sit sententia punientis.

Hic igitur obtutum fige, Deum aspice cuncta inuertentem:
 deinde peccata, quæ non hæc modò, sed & plura etiã me-
 reantur: & sic cunctas fortis vices perturbationesque, immotus
 ipse, imperturbatusque aspicias: & si non patria modò corruat,
 sed

*Si fractus illabatur Orbis,
 Impavidum ferient ruinae.*

Horat.



TRACTA-